

biles sui metus circa mobilitatem et mutabilitatem domini episcopi propter eius familiam querulantem, et promittente nobis in hoc facto fidem suam puram et sinceram negotii gestionem, nos tandem vidimus expedire recipi cessionem de consilio domini Merseburgensis, qui praesens nobis assedit. Verum ut cessio ipsa fortius firmaretur, nos a capitulo et ministerialibus quibusdam<sup>1)</sup> Misnensis ecclesiae tunc praesentibus duo recepimus sacramenta, unum de plene voluntaria cessione, de qua suam expressit dominus episcopus voluntatem, quam se audisse ipso sacramento firmarunt; alterum vero de manutenenda cessione huiusmodi et modis omnibus defendenda, si forsitan tenera mobilitas et vaga mutabilitas domini episcopi contrarium resonaret. Receptis itaque sacramentis recepimus cessionem per patentes litteras continentes eam expresse, litteras quoque procurationis recepimus in adminiculum evidentiae huius facti. Sed et episcopale sigillum nobis fecimus exhiberi, quod securi rumpi iussimus coram nobis, cuius unam partem capitulo reliquimus et vobis alteram praesentamus. His gestis capitulo assignavimus terminum eligendi diem videlicet beati Andreae apostoli, infra quem vel etiam in quo idoneum sibi pastorem eligerent gratia sancti spiritus invocata. Et ipsi quidem hoc termino cum gratiarum actione recepto ad propria sunt reversi. Actum Halle pridie Kal. Novembris in domo hospitem sanctae Mariae Novi Operis.

Nach dem Cod. S. Maur. im Herzogl. Archiv zu Bernburg fol. 99.

1) *cuiusdam* Cod., offenbarer Schreibfehler.

#### No. 109. 1228. 31. Oct.

*Die vorstehend genannten Commissare zeigen dem Erzbischof Albert an, wie und in welcher Weise der dem entlassenen Bischof von Meissen zu gewährende Ruhegehalt festgestellt und diesem gesichert worden.*

Reverendo domino suo A. sanctae Magdeburgensis ecclesiae archiepiscopo G. dei miseratione Brandenburgensis episcopus, H. praepositus de Mildense debitum omnimodae subiectionis et reverentiae famulatum. Cessioni et procurationi domini Misnensis episcopi taliter est provisum: praebendam habebit cum debitis proventibus eius et in castro Misnensi congruam mansionem, habebit singulis annis XL marcas in locis idoneis assignatas, habebit singulis annis XXIII maldra, III<sup>or</sup> tritici, octo sili-ginis, XII hordei, sex avenae ad pabulum ad mensuram terrae Misnensis, decem dannicas mellis habebit ad medonem singulis annis, habebit et allodium episcopale vicinum castro. Astrinxit autem se capitulum coram nobis apposito vinculo iuramenti, quod hanc provisionem inviolabiliter in omni casu servabit, ita quod si ex quacunque causa provisioni defectus ingrueret, capitulum moneret episcopum fideliter et instanter illum supplere defectum. Quod si episcopus omitteret, capitulum ad suppletionem tene-retur eandem. Sed et episcopus, qui successerit, iurabit, se bona fide promissionem huiusmodi servaturum, iurabuntque canonici pro tempore successive in forma iuramenti, quod capitulum super ea dinoscitur praestitisse. Actum Halle II. Kal. Novembris in domo hospitem sanctae Mariae Novi Operis.

Nach dem Cod. S. Maur. im Herzogl. Archiv zu Bernburg fol. 72<sup>b</sup>.